OXFORD CAMBRIDGE AND RSA EXAMINATIONS
AS GCE

F362/01

CLASSICS: LATIN

Latin Verse and Prose Literature

INSERT

TUESDAY 3 JUNE 2014: Afternoon
DURATION: 1 hour 30 minutes
plus your additional time allowance

MODIFIED ENLARGED

INSTRUCTIONS TO CANDIDATES

Do not hand in this Insert at the end of the examination. It is not required by the Examiner.

INFORMATION FOR CANDIDATES

Any blank pages are indicated.

INSTRUCTION TO EXAMS OFFICER / INVIGILATOR

Do not send this Insert for marking; it should be retained in the centre or recycled. Please contact OCR Copyright should you wish to re-use this document.

DC (LEG) 4126136491 99330
© OCR 2014 [F/500/8439]

PASSAGE 1A

quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas, urbem ornatissimam, cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit Antiochumque, regem potentissimum, vicit? quid de Flaminino, qui regem Philippum et Macedoniam subegit? quid de L. Paulo, qui regem Persen vi ac virtute superavit? quid de L. Mummio, qui urbem pulcherrimam atque ornatissimam, Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulit, urbesque Achaiae Boeotiaeque multas sub imperium populi Romani dicionemque subiunxit? quorum domus, cum honore ac virtute florerent, signis et tabulis pictis erant vacuae; at vero urbem totam templaque deorum omnesque Italiae partes illorum donis ac monumentis exornatas videmus. vereor ne haec forte cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur; ita enim tum aequabiliter omnes erant eius modi ut haec laus eximiae virtutis et innocentiae non solum hominum, verum etiam temporum illorum esse videatur.

Cicero, ‘In Verrem’ II, 1.55–56

PASSAGE 1B

homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque
nostrorum hominum existimatus esset, noluit
videri ipsum illum Rubrium invitus domum suam
recepisse; magnifice et ornate, ut erat in primis inter
suos copiosus, convivium comparat; rogat Rubrium 5
ut quos ei commodum sit invitet, locum sibi soli, si
videatur, relinquat; etiam filium suum, lectissimum
adulescentem, foras ad propinquum suum quendam
mittit ad cenam. Rubrius istius comites invitat; eos
omnes Verres certiores facit quid opus esset. mature 10
veniunt, discumbitur. fit sermo inter eos, et invitatio
ut Graeco more biberetur; hortatur hospes, poscunt
maioribus poculis, celebratur omnium sermone
laetitiaque convivium. posteaquam satis calere res
Rubrio visa est, ‘quaeso‘, inquit, ’Philodame, cur ad 15
nos filiam tuam non intro vocari iubes?’ homo, qui
et summa gravitate et iam id aetatis et parens esset,
obstipuit hominis improbi dicto. Instare Rubrius.
tum ille, ut aliquid responderet, negavit moris esse
Graecorum ut in convivio virorum accumberent 20
mulieres. hic tum alius ex alia parte, ’enim vero
ferendum hoc quidem non est; vocetur mulier!’

Cicero ‘In Verrem’ II, 1. 65–66

PASSAGE 2A

sed pendent tibi crura: potes, si forte iuvabit,
   cancellis primos inseruisse pedes.
maxima iam vacuo praetor spectacula Circo
   quadriiugos aequo carcere misit equos.
cui studeas, video: vincet, cuicumque favebis; 5
   quid cupias, ipsi scire videntur equi.
me miserum! metam spatioso circumit orbe;
   quid facis? admoto proximus axe subit.
quid facis, infelix? perdis bona vota puellae;
   tende, precor, valida lora sinistra manu. 10
favimus ignavo. sed enim revocate, Quirites,
   et date iactatis undique signa togis.
en revocant; at, ne turbet toga mota capillos,
   in nostros abdas te licet usque sinus.
iamque patent iterum reserato carcere postes, 15
   evolat admissis discolor agmen equis.
nunc saltem supera spatioque insurge patenti:
   sint mea, sint dominae fac rata vota meae.
sunt dominae rata vota meae, mea vota supersunt;
   ille tenet palmam, palma petenda mea est. 20

Ovid ‘Amores’ III, 2.63–82

PASSAGE 2B

colle sub aprico creberrimus ilice lucus
stabat, et in ramis multa latebat avis.
area gramineo suberat viridissima prato
umida de guttis lene sonantis aquae.
ipse sub arboreis vitabam frondibus aestum, 5
fronde sub arborea sed tamen aestus erat.
ecce petens variis inmixtas floribus herbas
constitit ante oculos candida vacca meos,
candidior nivibus, tum cum cecidere recentes,
in liquidas nondum quas mora vertit aquas, 10
candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet
et modo siccatam, lacte, reliquit ovem.

Ovid ‘Amores’ III, 5.3–14

BLANK PAGE

BLANK PAGE

Copyright Information

OCR is committed to seeking permission to reproduce all third-party content that it uses in its assessment materials. OCR has attempted to identify and contact all copyright holders whose work is used in this paper. To avoid the issue of disclosure of answer-related information to candidates, all copyright acknowledgements are reproduced in the OCR Copyright Acknowledgements Booklet. This is produced for each series of examinations and is freely available to download from our public website (www.ocr.org.uk) after the live examination series.

If OCR has unwittingly failed to correctly acknowledge or clear any third-party content in this assessment material, OCR will be happy to correct its mistake at the earliest possible opportunity.

For queries or further information please contact the Copyright Team, First Floor, 9 Hills Road, Cambridge CB2 1GE.

OCR is part of the Cambridge Assessment Group; Cambridge Assessment is the brand name of University of Cambridge Local Examinations Syndicate (UCLES), which is itself a department of the University of Cambridge.